

internus; quia in potestate artificis continetur. Est proximus; quia adequatus & reciprocus. Deinde est *finis externus subordinatus*, qui cernitur in duobus: puta in legitima constitutione ecclesiae particularis, & legitima illius administratione: unde Prophetica est partim *ουσιαστικη*, *constitutrix*, quantum attinet ad foundationem ecclesiae; partim *διοικητικη*, *administratrix*, quantum ad Ecclesiae conseruationem, amplificationem & curationem. Unde quatuor officia antistitis ecclesiae emergunt: vide icet ecclesiam recte fundare, fundatam conseruare, conseruatam amplificare, & corruptam instaurare siue curare. Quae tamen non semper in vno eodemque ecclesiae corpore concurrunt (accidit enim, vt aliquis vocetur ad ecclesiam non fundatam, sed conseruandam, vel amplificandam, vel curandam) oportet tamen nihominus antistitem ecclesiae scire, quomodo per omnes numeros debeat implere sui nominis mensuram: quia fieri potest, vt vocetur ad ecclesiam vel conseruandam & amplificandam, vel ad illam fundandam, aut etiam curandam seu reparandam. Caeterum hic agitur de ecclesia particulari, hoc est, de hoc vel illo coetu factio, qui certo in loco, certo tempore, colligitur & nascitur: non vero de ecclesia catholica, cuius cura & administratio non est penes hominem mortalem, sed penes regem aeternum, Jesum Christum, & sanctum eius Spiritum. Tertio sequitur *finis externus ulterior*, qui est salus hominum electorum. Nam quia euangelium est potentia Dei ad salutem cuius credenti. *Roman. 1.* & vero antistes ecclesiae annuntiateuangelium, oportet vt hunc sibi finem proponat, quem Deus in annuntiatione euangelii intendit. Quarto est *finis simpliciter ultimus*, videlicet gloria Dei. Deus enim seruos suos mittit ad vocandum electos, vt illi gustent & videant quam bonus & suauis sit, indeque permoueantur ad nomen ipsius laudandum, vt constat ex omnibus & singulis libris factarum scripturarum. Ex his videre est quomodo fines theologiae propheticae cohareant. Nimirum oportet hanc theologiae partem docere & discere, vt ex praecipis & regulis methodice traditis pateat ratio constituendi & administrandi ecclesiam; idque ad salutem populi Deo dilecti & ab ipso electi, itemque ad nominis diuini gloriam.